

„conservationem ac restitutionem respicit, ad jurisdictionem Episcopi tamquam Sedis Apostolicæ Delegati pertinere.“ Hæc Fagnanus ad cap. QUANTO De privilegiis num. 13.

X. Cùmque Gregorius XV. in Constitutione sua quæ incipit, *infernabili* 18. in Bull. R. declaraverit, Episcopum punire posse Regulares etiam exemptos delinquentes circa clausuram, ex consequenti resolutum fuit [ut affert idem Fagnanus loco citato num. 9.] Regularem accedentem sine legitima licentia ad Monasterium Regularibus subiectum, ibique in loco colloquii destinato cum Moniali colloquentem ab Episcopo puniri posse.

XI. „Experientia enim docet [ait Fagnanus ad cap. QUANTO De privilegiis n. 11.] ad clausuram consecrationem magnopere pertinere, ut Regulares ad Monasteria Monialium non accedant, nec cum Monialibus colloquantur absque legitima licentia: idcirco enim tot prohibitiones sub gravibus pœnis hac in re à Sede Apostolica emanarunt; ergo Episcopus potest illos arcere, & contrafacientes punire. Et revera maxime absurdum videtur, ut Episcopi gravissimo illo Decreto præcipiantur clausuram inviolatam custodire; & tamen nequeant ab illa arcere, quos expedire judicaverint.“

Hactenus Fagnanus, qui & ibidem docet, Episcopum posse prohibere, ne quis sine sua, aut commissarii sui licentia ad Monasteria Monialium etiam colloquendi causa accedat [quemadmodum decrevit S. Carolus in sua Synodo P. VI. tit. De Monialibus] atque eo Decreto Regulares quantumvis exemptos ligari; & contravenientes puniri ab Episcopo posse.

XII. Episcopos Belgii non parum sollicitos fuisse, ut conformiter ad sacros Canones, nec non Concilii Tridentini Decretum, & Apostolicas Bullas clausura Monialium vel violata restitueretur, vel inviolata conservaretur, excitatis Synodis & pluribus eorum Decretis manifestum est; at & illud constat, nec paucas nec leves ipsis oppositas difficultates, dum Moniales, quæ hæcenus clausuram non erant professæ, neque ex sua Regula ad illius rigorem astringebantur, ad rigorosam illam clausuram juxta Decretum Tridentinum & pontificias Constitutiones constringere voluerunt; quod vel ex ipsa Synodo Cameracensi, quæ multa circa clausuram Monialium decrevit, manifestum est.

XIII. Immediatè post Decreta de clausura subdit cap. 16. „Quia verò non pauca neque leves in plerisque Monasteriis claudendis difficultates, suboriuntur, supplex totius Synodi nomine libellus conficiatur, qui expressis omnibus & singulis incommodis difficultatibusque, nec non Monialium clausuram recusantium rationibus & argumentis diligenter expositis Sanctissimo Domino nostro offeratur, rogeturque illius Sanctitas ut hujus provincie necessitatibus & incommodis pro sua paterna charitate peculiari aliqua ratione providere ac succurrere dignetur: habito autem ab illius Sanctitate responso, & cum Reverendissimis Dominis Episcopis per litteras communicato, quæcumque ad hanc materiam pertinebunt, certius explicari poterunt.“

XIV. Quæ fuerint rationes & argumenta ex parte Monialium proposita, atque ex Decreto Synodi per libellum supplicem Pontifici exhibita; aut quid ad libellum responderit Pontifex, hæcenus mihi assequi non licuit.

Verisimile verò est, rationes Monialium potissimum fuisse, quod in Belgio haud ita militate videantur ea, quæ alibi clausuræ hujus rigorem exigunt, ut etiam propterea Moniales clausuram non professæ, neque vi regulæ suæ ad eam obstrictæ, nihilominus ad eam suscipiendam constringi deberent; tamquam medium conservandæ castitati atque virginali integritate promissa pene necessarium.

Si enim Belgici climatis constitutio, genius populi & mores gentis attendantur, non apparet eum clausuræ rigorem esse adeo necessarium, ut etiam moniales ad clausuram non professæ, neque ad eam vi suæ regulæ constri-

ctæ, invitæ ac reluctantes per censuras & pœnas essent cogendæ: præsertim ubi etiam quadam ex sua fundatione ad agrorum curam agendam destinantur, quæ cum rigorosa & arcta clausura nequaquam consistit.

Accedit quod hinc in Belgio laudatæ matronæ intaminatæque; Virgines plateas ac templum publicè passim frequentent sine illius offensa aut scandalo populi, ita quidem ut si quæ hinc clausura Italica teneretur, proxima videretur infamie & censuræ. Videmus insuper tot millia Beguiarum ab aliquot jam sæculis in Belgio sine illo clausuræ rigore castæ & religiose viventium, quæ simpliciter voto castitatis adstrictæ sunt: tot item Virgines, quas Filias devotas vulgò vocant, in ædibus parennis, aut simul commorantes absque ulla clausura, sine periculo, scandalo aut opprobrio à Bonifacio indicatis, castæ & devotè viventes.

Hæc aliaque videntur Moniales nonnullæ contra introductionem rigorosæ clausuræ urssisse.

XV. Quidquid sit, certum & indubitatum est, nequaquam in omnibus Monasteriis Monialium hinc in Belgio clausuram in omni suo rigore, prout in Constitutione Bonifacii & Decreto Concilii Tridentini expressum est, esse receptum; multaque Monialium Monasteria partim sub regimine Regularium, ut Cisterciensium, partim sub regimine Episcoporum sine clausura tolerati, & vivere.

XVI. Unde Tridentinum quoad clausuræ rigorem hinc in Belgio universaliter receptum negat Zypæus Consult. 9. De Regularibus. multò minus Constitutionem Pii V. notatque, quidem in Synodo P. II. Mechliniensis Tit. De Regularibus, cap. 3. haberi, quod „Sanctimoniales, etiam exempta scire debeant, sibi non licere post professionem, etiam ad breve tempus, Monasterium egredi; nisi ob aliquam extrinsecam causam expressis in Constitutione sanctæ memoriæ Pii V. hæc de recedita, quæ „inviolabiliter est observanda;“, sed observat quod Synodus cum Principi probanda offerretur, in iis articulis qui Principi fuerunt exhibiti haberet, ut Episcoporum conscientia committeretur observantia clausuræ quæ eam urgerent, prout promittendo, vel perverbia Monialium permitteret. Verùm Romæ ni substituerunt, ne Sanctimoniales egredierentur, nisi tribus ex causis in Pianæ expressis, eaque INVIOLABILITER observarentur. Hæc Zypæus, qui & inde infert non constare, Constitutionem Pianam hinc esse debitè placitam & publicatam.

XVII. Et revera si Bulla Pii V. hinc esset ritè publicata & recepta, etiam clausuræ obstringerentur Moniales illæ, quarum fundatio cum clausura non consistit; nam dicta Bulla absolutissimas habet derogationes etiam fundationum, & tamen, uti observat Zypæus in Jure Novot. De Regularibus, nu. 4. „In infinitis per Belgium Xenodochiis mulierum Grisejarum & Nigrarum, ut vocant, Sororum Monasteriis, etiam reformatissimis, & sub Episcopis religiosissimis æquè ut doctissimis, videmus clausuram eam non observari, quod earum fundatio & institutum cum ea incompatible sit.“

Hæc licet in Belgio ita tolerentur, neque Monialibus, quæ hæcenus strictam clausuram non receperunt scrupulus moveri debeat ex dictis Pontificiis Constitutionibus, fatendum tamen est, uti rectè advertit Zypæus loco citato, pericula multa per clausuram submoveri. Perire solet, qui amat periculum. Et quamvis de more gentis majus id minulve sit, meritò tamen & ibi vigilatur, ubi non est summum.“

XVIII. Quapropter & in Monasteriis strictæ ac rigorosæ clausuræ non subiectis, invigilare sollicitè debent eorum Superiores, ut eatenus clausura servetur, atque secularium conversatio cum Monialibus ita limitetur, ut ipsæ Moniales sine offensa, Religionis opprobrio, & scandalo populi vivere, à publicis ac mundanis conspectibus separatæ omnino Deo liberius servire, & eidem corda sua & corpora in omni sanctitate custodire valeant.

XIX. Hinc Synodus P. II. Cameracensis in dicto cap. 16. quo declaravit, aliqua Monasteria sine clausura permittenda donec SS. mus fuerit consultus, ait: „Interea verò in dictis Monasteriis, quæ clausuram non admittunt observari curent Episcopi, ut nec viris, nec mulieribus intra loca regulatæ dictionum Monasteriorum pateat accessus.“

XX. Sanctus Augustinus lib. I. de moribus Ecclesiæ c. 3. 4. de Sanctimonialibus in Ægypto sine rigore clausuræ suo tempore viventibus loquitur: „quæ habitaculis segregatæ, ac remotæ, à viris quàm longissimè decet piâ tantum charitate illis junguntur & imitatione virtutis: ad quas juvenum nullus accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum & probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum necessaria præbendi quibus indigent, gratiâ.“

Itaque Episcopi aliique Monasteriorum strictam clausuram non habentium meritò impediunt, omnem quamcumque periculosam ac familiariorum Monialium cum secularibus, aliisve etiam viris Religiosis conversationem, atque congressum.

XXI. Cùm verò non parum periculosus multisque incommodis obnoxius sit congressus Monialium cum secularibus in conviviis meritò Alphonsus Archiepiscopus Mechliniensis Decreto suo 19. Novembris 1679. inhiibuit omnibus Monasteriis Monialium sine clausuræ subiectis, sive non subiectis, institui convivium in die professionis, vel vestitionis Monialium, aut occasione jubilæi aut medi jubilæi alicujus Monialis vel die Regularium, aut Patronæ cum invitatione aut congressu personarum extranearum sive laicarum sive Ecclesiasticarum, tametsi etiam consanguinitate conjunctæ fuerint.

XXII. Quoad egressum, is sanè etiam in Monasteriis clausuræ non subiectis cum magna cautela & moderatione permittendus erit.

Si ad Eustochium Virginem nullo clastro inclusam scribat S. Hieronymus: „Rarus sit egressus in publicum, Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo. Namquam causa deest procedendi, si semper quando necesse est, processura sis. Sorores tuæ curescent & quærant quomodo Christum hospitem suscipiant. Tu semel, sæculi onere projecto sede ad pedes Domini, & dic: Inveni enim, quem querebas anima mea: tenebo eum nec dimittam. ... Semper te cubuli tui secreta custodiant, semper tecum sponsus ludat intrinsecus. ... Cave ne domum exeat, & velis videre filias regionis alienæ: quamvis fratres habeas Patriarchas, & Israel parentem lateris. Dina egressa corruptur.“

Si hæc Hieronymus ad Eustochium in domo parentum commorantem scribat pro custodia castitatis, quidni potiori ratione ad Moniales dicta censentur, quæ non tantum voto castitatis solemniter obstrictæ, sed etiam vi sui status & professionis specialiter à mundana conversatione sejunctæ sunt, nec nisi violentè quodammodo, & Ecclesiæ dissimulante ab omnimoda ac absoluta clausura eximuntur.

XXIII. Ad hoc enim septa Monasterii vobis facta sunt (scribebat sæculo 11. S. Ivo Carnotensis ad Sanctimoniales Dunenses) ne mundi amatores intra claustra mundum fugientium recipiatis, ne ad publicum prodeatis, ac de corporali mundi visione tractis introitum sædis imaginibus, atque expugnata intus virginitate, corpus quoque corruptioni subijci permittatis.

XXIV. Valde ergo circumspiciti, & parci esse debent Monasteriorum Directores, ut Monialibus egressum concedant, & si illum necessitate urgente concedant, eam adhibeant cautelam, quæ periculum aut scandalum ejusmodi egressui conjunctum præveniat.

XXV. Eam circa Moniales infirmis curandis ex fundatione aut instituto deputatas observatam cupientes Patres Synodi P. II. Cameracensis statuerunt: „Religiosa verò etiam Mendicantes quæ ægrotum ab immemorabili tempore, atque adeo ex fundatione agunt, sola nūquam emittantur ad ægrotos; nec juniores quantum fieri potest, sed ea quæ Matris seu Præfectæ judicio probabuntur.“ Tit. De Regularibus, cap. 17.

XXVI. Hæc cautio in omnibus p. ssm Nigrarū atque Grisejarum similiumque Monialium Constitutionibus occurrit.

XXVII. Et signanter in Constitutionibus Nigrarum Sororum hujus Mechliniensis Diocesis à Jacobo Boonen Archiepiscopo Mechliniensis præscriptis hæbetur: „Mater, numquam permittet aliquam Sororum solam ire ad infirmos, quæcumque sit, sed duas simul; quæ nūquam, se mutuo possunt dimittere, sive vadant ad templum, sive forum, sive aliò quocumque, & quando una sororum in cubiculo infirmorum dormiet, tunc altera pro servitio infirmi vigilabit.“

Quam ejus exacta observantia optanda sit, nemo non intelliget, qui expenderit pericula imminentia hisce Monialibus, dum solæ inter sæculares in domo seculari versantur.

XXVIII. Quæ pericula augentur in Junioribus præcipuè dum etiam alteri sexui inservire debent; id propterea non sine magno fundamento Majoris nostri Xenodochia ad domos leproarias fundantes, voluerint esse institui religiosi utriusque ut utriusque sexui ægrotò ministrarent. Tales sunt [ait Zypæus Jure Novo Tit. de Regularibus, n. 4. 1.] fundationes Xenodochii Antverpiensis, Lutrensis & aliorum.

XXIX. Fundatio etiam Leprosaria extra mœnia hujus oppidi Lovanienis vulgò Terbank primitus fuit pro novem mulieribus, & novem viris, qui utriusque sexus leprâ infecto servirent; uti patet ex Bulla Honorii III. qua domum illam directioni Abbatis Villariensis subijcit; & inter monumenta hujus domus asservatur.

XXX. Indubie laudabile esset institutum, ut utriusque sexus infirmo sui respectivè sexus personæ assisterent; modò tamen ipsi inservientes mulieres & viri ita essent separati & a se mutuo sejuncti, ut ex mutua cohabitatione nullum periculum, nullumque scandalum esset metuendum.

XXXI. „Et quia Monasteria Sanctimonialium extra mœnia urbis vel oppidi constituta, malorum hominum prædæ, & aliis facinorosis sine ulla sapè custodia sunt exposita; curent Episcopi, & alii Superiores, si ita videbitur expedire, ut sanctimoniales ex iis ad nova, vel antiqua Monasteria inter urbes vel oppida frequentia reudantur, invocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachii secularis: Impedientes verò, vel non obediens, per censuras Ecclesiasticas patere compellant.“ Synod. Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 5.

XXXII. Verùm cùm de publicatione Concilii Tridentini in Belgio tractaretur, eumque in finem ad Concilia Regia ejus Decreta reformationis examinanda essent transmissa, circa hoc Decretum notatum fuit in litteris responsoriis ad Governatricem Belgii Margaritam Parmensem: „Negant Concilia id in Belgio ad effectum perducere posse, ob sumptus ingentes, aliaque commoda. Ita refert Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico cap. 32. §. 2. 5.“

Unde etiam videmus plurima etiam nunc hodie Sanctimonialium Monasteria extra mœnia urbis & oppidi prudenter tamen invigilant superiores, ut tempore bellorum tempestivè ad urbes transferantur; ut hoc pacto saltem ab incommodis & periculis, de quibus Synodus Tridentina, extimantur.

TITULUS XXXI.

De Monasteriorum Superioribus.

CAPUT I.

Quid Abbates & Abbatissæ, & variorum distinctio.

Van Espen Jus Eccles. P. I.

- 1. Præfectis Monachorum & Canoniorum in communi viventium nomen Abbatis generaliter datum,
2. In aliquibus Ecclesiis secularium Canoniorum nomen Abbatis mansit.
3. Quid propriè significet Abbas.